

in meis multos nævos, fortè ego in meis observavi ipse adhuc plures, licèt minùs oculatus. Quod verò ad methodum spectat, nihil habeo quod regeram. Hoc tantùm dicam, meum institutum fuisse describere sexus, leges, in plerisque à me visis plantis, cùm hæc notitia deficiebat apud antecessores; hoc dùm facerem, debui methodum ità adornare, ut ex hâc quis videret quomodò sexus plantarum esset in speciebus sub classe militantibus. Si verò Dioicas, Polygamas, reliquasque redegissem ad priores classes, non absoluta fuisset methodus in sexu. Meum propositum non erat dare methodum naturalem, vel fragmenta methodi naturalis, cujus ordines nullus definire potuit; nisi voluissem inculcare quòd omnis methodus deberet exulare, et nullam methodum assumi, quàm credideram paucos tàm felici Minervâ natos esse, ut possent tot genera ritè distinguere absque methodo. Nil magis optarem quàm quòd Magni viri vellent nobis dare methodum suam, quæ esset aliena ab omni vitio. Isti me docuère quòd *Hypocistis* et *Cuscuta*, *Cornus* et *Sanguisorba*, *Fumaria* et *Digitalis*, *Veronica* et *Olea*, *Statice* et *Atriplex*, *Ruta* et *Reseda*, *Parnassia* et *Ledum*, *Hedera* et *Erica*, *Samolus* et *Campanula*, *Rhus* et *Cneorum*, ordine eodem convenirent naturali, quod ego numquàm credidissem : utinàm unquàm credere